

BERNARDI TREVIRENSIS
ad Thomam de Bononia medicum
Regis Caroli octavi Re-
sponsio.



B S E Q V I I S mihi possibilibus tibi exhibitis, venerande Doctor, & domine honorande. Noueris me per dominum Aldericum recepisse immensam & copiosam epistolam tuam, vnà simul lapidem secretissimi operis tui: quod certè insigne argumentum fuit amicitiae: ex quo manifesta & grauissima quidè est confidentia tibi mihi exhibita, & quam magno & acri præfulgeas ingenio. Nunc autem tuæ epistolæ lubens respondebo. Quædam enim à te doctè & ingeniosè scripta approbo, quædam verò non arrogāter redarguam, sed strictius & Philosophicè perstringendo, aliter honoris tui causa & obseruantia pertractabo. In hac enim arte sacra & occulta, vt in alijs, experientia practicæ veritatem theoreticæ debet corroborare. Quare venerande Doctor, nunc talibus rescriptis & libellis nos mutuò visitemus, quando præsentia corporali vniri non valeamus. Cæterùm tuæ sapientiæ est (vt optimè nosti) res per causas cognoscere & intueri, quoniam experimentum fallax est, cuius notitia non præcesserit. Philosophantibus enim inest firma discretionis meditatio, vt operis quod fieri debeat perfectio ad extremum commodè perducatur. Erroris nempe contingentia euenit ad opus accedere volentibus, omisso & neglecto mentalis practicæ iudicio, quam theoretica in anima operatur priusquam ad opus conficiendum operationes accedant. Nam opus sequitur naturam, & non contrà. Qui ergo vult quicquam efficere, animam disponat, vt rerum naturas & euentus intelligat: postea verò tutò manus ad operandum emittat. In his siquidem animum tuum apertè nosco sublimem, experimento tuo in epistola tua præscripto. Nam vt aqua quæ natura sua frigida & humida est, si vegetabilibus permixta fuerit, aliam

aliam